Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

dit. Expectabatur ordinationis tempus et unctionis leticia salutaris, et hoc facto innouatum est gaudium plebis et refulsit in conspectu omnium qui conuenerant ornatus stola iocunditatis sacerdos domini saluatoris, per quem nardus preciosa dedit odorem suum. In medio ecclesie aperuit os suum. Audiebatur secundum legale institutum sonitus intrantis in domum domini dei. Exemplum et documentum factus est omnibus obtemperantibus sibi in salutem. Quod autem fecerit quomodo docuit qualiter in pace ecclesiarum dei se ipsum impenderit, actu est admirabile, dictu difficile. Tamen enim superiorum insignia huius cottidiana opera precedebant, ut totum quod in ecclesiis suis ampliandis siue restaurandis, quod in reliquiis et corporibus sanctorum in suam parrochiam transferendis, quod in priuatis et publicis edificiis conponendis, quod in coordinandis domi militieque + sancte dei ecclesie rebus fecerat, ad aliorum opera incomparabile uideretur. Nam sicut super omnes docentes se intellexit, ita cordis sui aciem, ingenii acumen, animi uigorem ad maiora sapientie et uirtutis opera direxit. De religione primum et cultu dei quod greci theosebiam dicunt secundum certam sapientiam canonicam et apostolicam auctoritatem secutus instituit, ut multitudinis que in diuersis congregationibus ad dei honorabilem sedem pertinentibus erat cor unum esset et anima una. Ut uestium superfluitas, morum inequalitas et quecumque hoc modo effeminatum et indecens in eius ecclesia uideretur uera et spirituali circumcisione quod est initium sapientie diligentissime absciderentur. Ut diuinis ministeriis omnes quorum id quod interest erat intentissimi secundum prefixam sibi regulam uiuerent, nec aliam sibi salutis causam ullatenus estimarent. Hec et his similia cum uenerandis patribus et cleri sui senioribus frequens egit. Eos in custodia dominici gregis secum inuigilare sollicite admonuit. Et quia culpa temporum urgebatur ut rarius hec cum illis ageret quam uolebat, sollicitius absens et non minus quam presens spiritu feruens domino seruiens estuabat. Erant ei foris pugne, intus timores. Pugnabat contra luporum ecclesiam dei deuastare cupientium rabiem, timebat dominicarum ouium simplicitati sicut apostolus. Timeo inquit ne sicut serpens euam seduxit astutia sua ita uestri sensus corrumpantur a simplicitate que est in christo ihesu. Ita erecto pectore contra aduersa omnia robustissimus erat, in prosperisque talis animus minime uacillabat rebus equè et crebris excitationibus docens omnes sibi subditos sollicitos seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. Uisus est singulari illa mentis sue agilitate pene excessisse generale illud quod dicitur: mentem cum diuiditur in multa fieri minorem ad singula. Cogente imperiali dignitate suscepit, ut iam dictum est, tractare negocia regni apud lotharios, et cum unicuique sibi congruum impertiret opus, nichil tamen erat quod non ipse obediret, hoc maxima consilii uiuacitate prouidens quomodo omnibus expediret.

c Causantur forte aliqui diuine dispensationis ignari, quare episcopus esse populi et pericula belli tractauit, cum animarum tamen modo curam susceperit. Quibus res ipsa facile si quid sapiunt sanum satis facit, cum tamen et tam insuetum illis presertim partibus pacis bonum per hunc tutorem

+ de principibus et magistratibus suum partiretur onus unicuique

et doctorem fidelis populi longe lateque propagatum aspiciunt, nec prorsus hac re quasi in tenebris amplius uti est presentia lucis offendunt. Et nec uero noua fuit huius modi gubernatio, aut sancte dei ecclesie rectoribus antea inusitata, cuius exempla si quis requisierit in promptu sunt. Nos uero ad alia festinantes quod quisque de pio hoc uiro loquatur suo ipsius iudicio relinquimus, scientes sani capitis esse neminem qui bonum euidentissimum ullo maledicti obprobrio fuscare nitatur. Honestum enim et utile nostre rei publice fuit omne quod fecit. Factis uero suis hunc finem nequaquam constituit, ut non nisi pro hominum ora fauorem captando uolaret. Sed ita uixit, ita opera sua coram hominibus temperauit, ut pessimus horrori, bonis esset honori. His aperte cunctis innotuit quod in operatu bonum opus desiderauit. Non quod nec ab inuidis et emulis suis facile potuit reprehendi. Non hoc ipsum in laudem eius magis proficeret, quod talibus displiceret. Hac quasi mirifica occupatione detentus, peruigil summi patris familias imperio et summus presul lucernam ardentem boni uidelicet operis exemplar in manibus ferens ad ea que dei sunt alios uolentes duxit, alios nolentes traxit. Sed inter hec humani generis antiqua pestis non cessauit inuidie sue uirus opera pii doctoris iam in bona spe germinantia longe lateque dispergere. Nam cum primum lotharici regni populus multimoda magni huius uiri exhortatione uix tandem inductus blandimenta pacis ualde sibi insueta temptaret, et his qui sola ciuili dissensione totum sibi aliquid pollicebantur assensum in sui perniciem ex parte plurima preberet spernerent, seua ungarorum gens et qualem numquam terra nostra sensit barbariem apud sis inlecta ciuibus terris germanie plerisque prouinciis gallie etiam nobis francorum populis insedit, omnia ferro et ignibus uastatura se totam infudit. In hac acie Chono qui prius erat dux egregius cum suis sequacibus militauit, utinam ut odio suo adhuc quod in uirum dei brunonem bonis certe mansuetissimum conceperat hac feda crudelitate satis faceret, a ut quibus posset intrato periculo subueniret incertum. Sed prius illi lacius opinione disseminatum est. Nam et ante contra eum dura quoque fraudulenter quia uires temptauit defecerant, ita ut metensem urbem opulentissimam dolo inuaderet, ipsi colonie et ceteris regni innitionibus suspectum se faceret, probra iactaret, minas effunderet, et post aliquantum temporis in hac eadem qua dudum erat immanitate permansit. Nichil reliquid intemptatum quo fedus impleto uoto presulum ductoris sui pactum dissoluere se posse putaret. Homo namque erat paulo ante summe potentie summeque fortune, sed ignarus quomodo secundis rebus uti conueniret. Has quam primum quam abusus perdidit, in bonis ultra modum impaciens fuit. Sed a nefariis suis conatibus semper ita deo dispensante repulsus est, ut hoc eum non leuiter peniteret, quod magnum facinus tanta leuitate aggressus est.

Prospexit autem in omnibus sacerdoti suo et pro pastori populi sui misericors et miserator dominus, et ita omnia ordinauit ut absque bello et humana prudentie maxima sepe pericula sedarentur. Inter que frequenter ipse initus aut sec